

Kurt Smolak

## „FLENTEM DICERE VERUM“ On non-satirical Latin Satires

A: **Lucilius**, Saturae 1326 Marx (Lactantius, divin. inst. 6.5.3)

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum  
 quis in versamur, quis vivimus rebus, potesse,  
 virtus est homini scire id quod quaeque habeat res,  
 virtus, scire homini rectum, utile quid sit, honestum,  
 virtus bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum,  
 virtus quaerendae finem re scire modumque  
 virtus divitiis pretium persolvere posse,  
 virtus id dare quid re ipsa debetur honori,  
 hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,  
 contra defensorem hominum morumque bonorum,  
 hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum,  
 commoda praeterea patriai prima putare,  
 deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

B : **Livius**, ab urbe condita 7.2.7

qui (i.e. vernaculi artifices) ... inpletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant

C : **Varro**, Sat. Men., fg. 117 Astbury

Sed nos simulatque in summam speculam venimus,  
 videmus populum Furiis instinctum tribus  
 diversum ferri, exterritum formidine.

D : **Petronius**, Satyrica, fg. 55,6,4-7 Müller

Ciconia etiam, grata peregrina hospita,  
 pietaticultrix, gracilipes, crotalistris,  
 avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,  
 nequitiae nidum in caccabo fecit tuae.

E : **Martianus Capella**, De nuptiis Mercurii et Philologiae 1.2 Willis

si vero concepta (i.e. *hymni rationem atque intentionem*) cuius scaturiginis vena profluxerint, properus scrutator inquiris, fabellam tibi, quam Saturae comminiscens hiemali pervigilio marcescentes mecum lucernas edocuit, ni prolixitas perculerit, explicabo.

F: **Martianus Capella**, De nuptiis Mercurii et Philologiae 1.1 Willis

Tu qui psallentem thalamis, quem matre Camena  
 progenitum perhibent, copula sacra deum,  
 semina qui arcanis stringens pugnancia vinclis

complexuque sacro dissona nexa foves,  
 namque elementa ligas vicibus mundumque maritas  
 atque auram mentis corporibus socias,  
 foedere complacito, sub qua natura iugatur,  
 sexus concilians et sub amore fidem;  
 o Hymenae decens, Cypridis quae maxima cura es  
 (hinc tibi nam flagrans ore Cupido micat),  
 seu tibi quod Bacchus pater est placuisse choreas,  
 cantare ad thalamos seu genetricis habes,  
 comere versificis florentia limina sertis  
 seu consanguineo Gratia trina dedit:  
 conubium divum componens Calliopea  
 carminis auspicio te pobat annuere.

**G : Boethius**, De consolatione Philosophiae 1, metrum 1 Moreschini

Carmina qui quondam studio florente peregi,  
 flebilis, heu, maestos cogor inire modos.  
 Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae,  
 et veris elegi fletibus ora rigant.  
 Has saltem nullus potuit pervincere terror,  
 ne nostrum comites prosequerentur iter.  
 Gloria felicis olim viridisque iuventae,  
 solantur maesti nunc mea fata senis.  
 Venit enim properata malis inopina senectus  
 et dolor aetatem iussit inesse suam.  
 Intempestivi funduntur in vertice cani  
 et tremit effeto corpore laxa cutis.  
 Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis  
 inserit et maestis saepe vocta venit.  
 Eheu, quam surda miseros avertitur aure  
 et flentes oculos claudere saeva negat!  
 Dum levibus male fida bonis fortuna faveret,  
 paene caput tristis merserat hora meum:  
 nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,  
 protrahit ingratas impia vita moras.  
 Quid me felicem totiens iactastis, amici?  
 Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

**H : Martianus Capella**, De nuptiis Mercurii et Philologiae 1.2 Willis

D u m crebrius istos Hymenaei versiculos nescioquid inopinum intactumque moliens cano, respersum  
 capillis albicantibus *v e r t i c e m* (*i.e. me, patrem*)... nugulas aggerire non perferens Martianus (*i.e. filius*)  
 intervenit.

**I : Boethius**, De consolatione Philosophiae 1, prosa 1.1 Moreschini

Haec d u m mecum tacitus ipse reputarem querimoniamque lacrimabilem stili officio signarem, astitisse  
 supra *v e r t i c e m* mihi visa est mulier reverendi admodum vultus.

**J : Alanus ab Insulis** (Alain de Lille), De planctu Naturae 1, c. 1. 1-6; 9-10 Köhler

In lacrimas risus, in luctus gaudia verto,  
 in planctum plausus, in lacrimosa iocos,

cum sua Nature video decreta silere,  
 cum Veneris monstro naufraga turba perit,  
 cum Venus in Venerem pugnans illos facit illas  
 cumque sui magica devirat arte viros ...  
 Musa rogat, dolor ipse iubet, Natura precatur,  
 ut donem flendo flebile carmen eis.

**K** : **Alanus ab Insulis** (Alain de Lille), De planctu Naturae 2, prosa 1 Köhler

Cum haec elegiaca lamentabili eiaculatione crebrius recenserem, mulier, ab impassibilis mundi penitiori delapsa palacio, ad me maturare videbatur accessum.

**L = I**

Haec dum mecum tacitus ipse reputarem querimoniamque lacrimabilem stili officio signarem, astitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus.

**M** : **Alanus ab Insulis** (Alain de Lille), De planctu Naturae 7, metr. 1 Köhler

O Dei proles genetrixque rerum,  
 vinculum mundi stabilisque nexus,  
 gemma terrenis, speculum caducis,  
 Lucifer orbis.

**N** : **Alanus ab Insulis** (Alain de Lille), De planctu Naturae, prosa 6 Köhler

Ego illa sum, que ad exemplarem mundane machine similitudinem hominis exemplavi naturam, ut in ea velut in speculo ipsius mundi scripta natura compareat.